destiae et humilitatis causa, incipit, iuxta illud (ibid. XV. 9.): « Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus » ; et *ascendit* ad maximum, Christum, quem proxime praecedit Petrus — *c)* Idem dicendum de alio textu (ibid. III. 22.) — *d)* Quoad textum vero (Gal. II. 9.), respondet Estius (in h. l.): « Jacobum primo loco nominat ad honorem Domini, cuius erat frater: et quia Jerosolymorum Episcopus erat, ubi haec gerebantur; idemque maximi nominis apud Judaeos ob sanctitatis opinionem; ut liquet ex Josepho et Hegesippo ». Addunt alii: « Cum rei veritate omnino consonat, ut Paulus Hierosolymam veniens, Jacobum omnium primum obviam habuerit, cum eo contulerit, societatemque iniverit. Reliqui enim, ut impositum sibi propagandae evangelicae lucis munus obirent, ab urbe frequenter aberant, in qua Jacobus, utpote proprius eiusdem pastor, stabilis permanebat. Coniectura est igitur minime negligenda, primum idcirca Jacobum numerari, quod ipse *tempore primus* suam cum Paulo consensionem declaraverit. Quare neque ille praeponitur, quod reliquis dignitate non antecelleret ».

4) Post Christi in coelum ascensionem, prout tunc rerum conditio ferebat, Petrus statim se ut Primatem gessit. Nam (Act. I. 15.) « exsurgens Petrus in medio fratrum » electionem novi pro Juda Apostolo, iuxta prophetarum oracula, indixit. Post adventum Spiritus Sancti (Act. II. 14.) « stans Petrus cum undecim levavit vocem suam », Christum annuntiavit, et credentes baptizari iussit. Post patratum insigne miraculum (Act. III.), ad populum et (Act. IV.) repletus Spiritu Sancto, ad principes populi et seniores gravem sermonem habet. Petrus (Act. VIII.) Simonem magum, eo quod sacram potestatem pecunia comparare voluerit, redarguit et damnat. Petrus (Act. IX.) universos coetus in Judaea, Galilaea et Samaria pertransit, tamquam imperator, uti advertit S. Chrysostomus (Hom. 21. in Act.) suas copias recensens. Habita visione comperit (Act. X.) Gentiles quoque ad fidem christianam admittendos esse, et ideo ipse Cornelium cum aliis Gentilibus Ecclesiae adiungit. Dum ab Herode Petrus in carcere detinetur (Act. XII.), « oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo ». In Concilio Jeros. (Act. XV.), surgens Petrus sermonem habet, pertractanda proponit, et primus sententiam edicit.

BIBLIOTECA CENTRAL

Iamvero — *a)* licet Apostoli contentiones antea habuerint de primatu; nullo tamen modo post Spiritus Sancti adventum, Petrum ob praedictum modum agendi reprehenderunt; imo constat potius, quod eum in maximo honore habuerint — *b)* Nec ea omnia primatum *meri* honoris exhibere possunt. Id enim imprimis non conveniret cum iis quae aperte probant primatum iurisdictionis; ac deinde, ceteris omissis, voluit Deus ut Ecclesia in humilitate fundaretur, ac praesertim Apostoli crucis humilitatem prae se ferrent; voluit ut omnibus pateret, Ecclesiam suam Dei solius opus esse, non vero hominum, neque consiliis aut viribus humanis propagandam ac conservandam. Igitur ad Ecclesiae initia « quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi », etc. — Sed haec omnia fusius prosequitur Bellarm. (de Rom. Pont. l. 1. a cap. 17.).

874. III. Patres constanter et unanimiter affirmant Petrum eminentiorem ceteris Apostolis auctoritatem obtinuisse. Origenes (in divers. Evang. hom. 2.) loquens de Petro, quaerit: « Quis esset altior Apostolorum illo, qui est et dicitur vertex eorum? » — S. Hilarius Pict. (in Matth. 6.) inquit: « Petrus primus credidit, et Apostolatus est Princeps ». — Eusebius Caes. (Hist. Eccl. l. 2. c. 11.) nominat Petrum « fortissimum et maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum ». — S. Cyril. Hier. (Catech. 2. 7. et 18.) nuncupat Petrum « Apostolorum summum, et Principem ac regni coelestis clavigerum ». — S. Basilius (Prooem. de iudic. Dei) inquit: « Beatus Petrus omnibus discipulis praelatus fuit, cui soli maiora data sunt quam aliis testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt ». — S. Gregorius Naz. (Carm. de seipso et adv. Episc.) Petrum appellat « Principem Apostolorum » ac « Ecclesiae Columen — S. Gregorius Nyss. (Serm. 2. de Steph.) ait: « Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una cum ipso caetera Ecclesiae membra glorificantur » — S. Optatus Milev. (l. 2. c. Parmen.) scribit: « Cathedra una est... ubi sedit omnium Apostolorum caput, Petrus,... in quo uno cathedrae unitas servaretur » — S. Ambrosius (in I. Cor. 12.) scribit: « Prior Andreas secutus est Salvatorem, sed Primatum non accepit, sed Petrus » — S. Epiphanius (in Ancor. post init.) dicit: « Hoc testatur

princeps Apostolorum (Petrus), quem Dominus constituit primum Apostolorum... cui concreditum est ovile »; et (Haer. 5.): « Petrum elegit, ut dux esset discipulorum ». — S. Chrysostomus (hom. 88. in Joan.) ait: « Christus Petro fratrum praefecturam commisit... et Petrus totius orbis magister a Christo statutus est »; et (orat. 8. adv. Judaeos) inquit: « Petrus sic abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit ». Insignibus nominibus Petrum honorat; nam vocat illum « Chori apostolici principem, os ac verticem discipulorum, Ecclesiae pastorem et caput, columnam Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscatorem » — S. Augustinus (l. 2. de Bapt.) ait: « In Scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum excellenti ratione praeeminet »; et (ibid.) addit: « Quis nescit, illum Principatum Apostolatus Petri cuilibet Episcopatui praeferendum esse? » et (enarr. in Ps. 108.) ait: « Ideo beatum Petrum paullulum Dominus deseruit, ut Ecclesiae rectori futuro ignoscendi peccantibus quaedam regula poneretur ».

875. Haec testimonia sufficiant; alia enim dedimus supra (nn. 547. 736. seq.). Recoli etiam possunt quae paulo ante exhibuimus in interpretatione textus Matth. XVI., et Jo. XXI. Adnotamus tantummodo — 1) Patres unanimiter affirmant Petri praeeminentiam prae ceteris Apostolis, eamque institutam esse a Christo *bono unitatis* unanimiter etiam affirmant — 2) Varias autem reddunt rationes, cur Primatus ille Petro potius quam alteri collatus fuerit: nonnulli enim putant id factum fuisse ob eius confessionem de divinitate Christi; alii id adscribunt eius zelo et dilectioni erga Christum, etc. Sed, uti patet, sententiarum diversitas quoad hoc alterum non destruit unanimitatem quoad primum.

876. Iam probandum est, quod secundo loco proposuimus, nempe *Primatum Petri non fuisse communem ac divisum cum Paulo*. Id quidem praecipue constat recolendo iterum iam data argumenta de promissione et institutione Primatus in solo Petro: quae proinde semper prae oculis habenda sunt. Sed insuper probatur.

877. I. *Ex Patribus*, qui Paulum Petro inferiorem diserte dicunt. Ita S. Augustinus (l. 2. de Bapt. c. 1.) ait: « Commemorat

Cyprianus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore Apostolo Paulo esse correctum ». Similiter (in ep. ad Galat.) Paulum vocat « posteriorem Pastorem »; et (in ep. 82. ad Hier.) haec addit: « Petrus, quod a Paulo fiebat libertate caritatis, pietate humilitatis accepit; atque ita posteris praebuit exemplum, etiam a posterioribus, quam Paulus, corrigi; quo confidenter auderent etiam minores maioribus pro deferenda Evangelica auctoritate, salva fraterna caritate, resistere ». S. Greg. (l. 2. super Ezech. hom. 18.) de eadem reprehensione loquens scribit: « Ecce a minori suo reprehendi non dedignatur: non ad memoriam revocat quod claves regni coelorum acceperit: minori fratri se ad consensum dedit; et factus est sequens, ut iam et in hoc praeiret; quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset et primus in humilitate ». Theodoret. (de Paulo Petrum invisente in ep. ad Galat.) sic commentatur: « Etenim cum Paulus humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi, quem par est, honorem tribuit ». Hugo Victorin. (Serm. 64.) ita disserit: « Petrus caeteris eminentior excellentia *potestatis*, Paulus excellentia praedicationis; Petrus sol, Paulus luna; Petrus sol per collatam sibi divinitus *potentiam*, Paulus luna per collatam sibi divinitus sapientiam », etc.

878. II. Recolendo quae supra statuta sunt, facile potest haec pars theseos confirmari. Ut aliquid innuamus, notetur — 1) omnia argumenta, quibus ostendimus, Ecclesiae regimen, ex Christi institutione esse monarchicum, excludere *divisionem* supremae potestatis in Petro — 3) Institutionem Primatus in Petro plene demonstravimus; at ubinam sermo est de Institutione eiusdem Primatus in Paulo, qui illum condivideret cum Petro? — 3) Imo ipsa testimonia, quae demonstrant institutionem Primatus, manifestant illum *exclusive* pertinere ad Petrum — 4) Si Paulus aequalem omnino cum Petro potestatem accepisset, quomodo factum esset, ut Petrus semper habuerit successorem in Primatu, Paulus numquam?

§ VI.

Quibusdam contra proxime statuta difficultatibus satisfit.

879. *Dices I.:* Quidquid Petrus a Christo accepit, acceperunt et ceteri Apostoli: ergo dici nequit Petrum super ipsos Apostolos obtinuisse Primatum — *Prob. antec.* — 1) Sicut Petrus constitutus fuit Apostolus, ita etiam reliqui qui Apostoli vocantur — 2) Sicut Petrus accepit potestatem quae universam terram comprehenderet immediate a Christo, ita reliqui Apostoli — 3) Sicut Petrus dicitur fundamentum Ecclesiae, ita (Eph. II. 20.) reliqui Apostoli — 4) Sicut Petro commissum fuit munus *pascendi* gregem Christi, ita tum Apostolis, tum aliis ab ipsis constitutis (Act. XX. 28.; I. Pet. V. 1-4.) — 5) Sicut Petro data fuit potestas ligandi atque solvendi, ita reliquis Apostolis — 6) Unde S. Cyprianus ait: « Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis ». Et S. Hieronymus (l. 1. cont. Jov.): « Super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo fundatur ». Similia etiam leguntur apud alios Patres.

880. Cum haec, in re praesenti, sit potissima difficultas, praestat eam breviter, quoad fieri potest, sed plenissime solvere. Itaque

1) Quaedam praenotanda sunt circa 3^{am} et 4^{am} *prob. antec.* Ac primo: Petrus ipse dictus fuit a Christo *Petra* seu fundamentum, super quod Ecclesia exstruenda erat; at non pariter Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiae, sed Ecclesia dicitur superaedificata super *fundamentum Apostolorum:* quae phrasis significare potest non quod ipsi Apostoli sint fundamentum, sed quod posuerint fundamentum (doctrinam) super quod aedificata est Ecclesia. Quae interpretatio (Eph. IV.) cohaeret cum contextu, ubi dicitur *et Prophetarum;* id enim importare videtur, Ecclesiam esse superaedificatam super fundamentum Apostolorum eodem modo ac super fundamentum Prophetarum: cum autem agatur ibidem de Prophetis V. T., uti liquet ex immediato contextu (II. 20.), ubi fit allusio ad Isaiam (XXVIII. 16.) et Ps. (CXVII. 22.), et uti testatur S. Augustinus (De Verbis Dom. Serm. 49.); nonnisi de doctrina praedicari potest dignitas fundamenti — 2) Sed etsi dicantur Apostoli ipsi *fundamentum*, non erunt fundamentum *in eodem ordine*, sed *in diverso ordine* ac Petrus; sicut Petrus ipse non est in eodem ordine ac Christus (n. 860.). Revera — *a)* Petrus solus vocatur fundamentum apud Matth.; et ex alia parte omnes Apostoli appellarentur fundamentum: eadem vero praerogativa tributa uni, et pluribus, intensione saltem differt — *b)* Petrus dicitur fundamentum universae Ecclesiae, quae cum comprehendat ipsos Apostolos, ipsi sunt aedificati supra Petrum; at vero Apostoli apud Paulum essent fundamentum, super quod sunt aedificati reliqui fideles.

Quoad munus *pascendi,* illud, ut vidimus, commissum fuit Petro relate ad Ecclesiam universam; at textus quo citantur pro eodem munere aliis ab Apostolis imposito, exhibent certum quemdam ac determinatum gregem pascendum. Ita (I. Pet. V. 2.) dicitur: « Pascite *qui in vobis est* gregem Dei »; et (Act. XX. 28.): « Attendite vobis, et universo gregi, *in quo vos Spiritu Sanctus posuit* episcopos regere Ecclesiam Dei »; ubi illud *universo* restringitur per verba sequentia.

2) Nunc ad generale argumentum, *resp.* imprimis *neg. antec.*, quod nempe *quidquid* Petrus a Christo accepit, acceperint et Apostoli. Quando autem subditur, Apostolos etiam singulos accepisse potestatem *universalem* ligandi atque solvendi, etc., *resp. dist.;* potestatem ordinariam, *neg.;* extraordinariam, *subd.;* parem omnino potestati Petri, eique non subordinatam, *neg.;* secus, *conc.* Ad hanc responsionem statim confirmandam, recolamus unam testimoniorum classem exhibere potestatem omnibus Apostolis factam, alteram exhibere potestatem factam soli Petro: quemadmodum ergo illa indicat aliquam aequalitatem inter Apostolos: ita haec praesefert quamdam praeeminentiam in Petro. Quare si Apostoli conferantur invicem, insignes omnes exsistunt universali auctoritate docendi, ac regendi; at prae reliquis Petrus personam induit Capitis, cui reliqui, ut Doctores et Pastores, sunt obnoxii. Sane testimonia, quae Petrum respiciunt, conciliari debent cum iis, quae pro ceteris Apostolis afferuntur. At nulla est alia conciliandi via, nisi ut aliqua Petro prae reliquis Apostolis tribuatur praerogativa, ratione cuius nominatim promissum et

BIBLIOTECA CENTRAL

concessum sit ei quod commune caeteroquin caeteris videretur. Praerogativa autem illa vel honoris sit oportet, vel iurisdictionis. At vero meri honoris esse non potest; siquidem quae de ea Christus enunciat ad honorem dumtaxat non referuntur, sed maxime ad iurisdictionem, ut vidimus. Promittitur ergo Petro aut confertur praerogativa iurisdictionis, quae sit ipsi propria et personalis prae ceteris Apostolis, et quam iidem non communicent: ac proinde habetur in Petro caput quoddam singulare ac praecipuum inter ipsos Apostolos.

881. Verum ut hanc responsionem paucis enucleemus, praestat hic tria considerare: — 1) quid Apostoli habuerint commune cum Petro, quid hic prae illis habuerit — 2) Quid ab Apostolis acceperint Apostolorum successores, quid Petri successores a Petro — 3) Ex his intelligetur ipsum exercitium praerogativae tum Petri quoad Apostolos, tum successorum Petri, quoad Episcopos successores Apostolorum.

882. A *primo* exordientes, dicimus — 1) non esse necessarium hic considerare potestatem *ordinis*, cum *Primatus* importet potestatem *iurisdictionis*. Notari tamen potest, omnes Apostolos fuisse Episcopos, adeoque pares in potestate ordinis: at si origo quaeratur huius potestatis, in Petro *certo* fuit *immediate* a Christo: in reliquis vero censent nonnulli, eam potestatem nonnisi *mediate* a Christo processisse, quatenus Christus ipse ordinavit Petrum, Petrus reliquos (cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 23.) — 2) Nec ncesse est hic considerare aliquot praerogativas Apostolis concessas, uti fuit confirmatio in gratia, donum quo facti fuere *novarum* revelationum organa, etc.; cum enim huiusmodi praerogativae *per se* non sint adnexae Apostolatui aut Primatui, neque ad Apostolorum neque ad Petri successores transiere — 3) Praerogativa igitur *propria* Apostolatus, adeoque omnibus ac solis Apostolis communis, potestatem *iurisdictionis* respicit; atque duo comprehendit, uti notavit Valentia (tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. § 28.). *Unum* est, quod ab ipso Christo *proxime* auctoritatem Ecclesiastici ministerii Apostoli acceperunt (1). Quamobrem et ab

(1) De hac re dubitari nullatenus potest. Si qua enim esset difficultas, ea afficeret *missionem* Matthiae, qui loco Judae substitutus fuit, et Pauli, qui post Christi ascensionem in coelum vocatus fuit ad Apostolatum. At

eo missi, sicut ipse missus erat a Patre, dicuntur. *Alterum* est, quod eam auctoritatem sic a Christo acceperunt, ut non tantum in hac vel illa orbis parte, sed ubique prorsus possent rite ac legitime fungi muneribus Ecclesiasticis: « Euntes enim », inquit Matth. XXVIII., « docete omnes gentes ». Et: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (Marc. XVI.). In his duabus rebus, atque adeo in huiusmodi dignitate atque praerogativa *Apostolatus* pares omnes Apostoli fuerunt.

883. At vero in quo proprie consistit ratio *Primatus*, seu, quoad potestatem iurisdictionis, in quo Petrus constitutus fuit supra ceteros Apostolos? In duobus *praecipue* antecellit Petrus reliquis Apostolis, quoad hanc potestatem. *Primum* est, quod potestatem accepit *independentem*, et *in ipsos Apostolos*, uti constat ex demonstratione iam data: cum ceteri Apostoli *singuli* non haberent in alios Apostolos potestatem, *singuli* autem *et collective* penderent a Petro. *Alterum* est, quod potestas Petri in universam Ecclesiam *(Primatus)* erat *ordinaria*, adeoque ad successores transmittenda, ut infra magis diserte probabitur; cum potestas *universalis* in singulis Apostolis esset *extraordinaria*, cum ipsis proinde exstinguenda (cf. Valentia l. c.). At quaeres, unde probari id possit? Adverte — 1) ex Scripturis aperte probari iurisdictionem *universalem* Petri, et omnium simul Apostolorum cum Petro; sed sola Scriptura difficile saltem esset ostendere iurisdictionem *universalem* et infallibilitatem *singulorum* Apostolorum. Pro iis igitur, qui profitentur Scripturam esse *unicam* fidei regulam, ridiculum esset reiicere *Primatum* Petri, sub praetextu quod illi obesset universalis potestas *singulorum* Apostolorum — 2) Ipsi Apostoli constituebant suos successores,

de primo optime demonstrat Bellarminus (de Rom. Pont. l. 4. c. 23.): « Mattiam Apostolum non fuisse ab Apostolis electum, nec datam ei ullam auctoritatem, sed implorata divinitus et impetrata electione eius, mox inter Apostolos annumeratum ». Apostolus autem de seipso scribit (Gal. I. 1.): « Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum »: unde etiam addit: « neque enim ego ab homine accepi illud [Evangelium], neque didici, sed per revelationem Jesu Christi ». Ut autem ostenderet, se accepisse missionem a Jesu Christo, a quo vocatus fuerat, monet quod antequam iret Jerosolymam ad suos antecessores Apostolos, se contulit Arabiam, et inde reversus est Damascum (XV. 17.), in qua civitate Christum praedicabat (Act. IX. 19. 22.).

Episcopos *per singulas civitates* (Tit. I. 5. 7.); Petrus monet « consenior seniores » dicens: « pascite *qui in vobis est* gregem Dei ». Cf. alia testimonia, quae dedimus (n. 523.). — 3) Unde numquam fuit ullus Episcopus, praeter Romanum, qui sibi, ut Apostolorum successor, vindicaverit potestatem in universam Ecclesiam; imo contrarium sancitum invenies vel in primis Conciliis, et in Canonibus Apostolicis (cf. can. XIV. XXXII. XXXV.). Ipsa vero quorumdam Episcoporum defectio a vera fide, ostendit infallibilitatem quae *singulis* Apostolis tributa fuit, non transiisse ad *singulos* successores.

884. Atque ex his iam intelligitur *alterum* quod proposuimus, nempe *quid sint Apostolorum successores* (Episcopi) *respectu successorum Petri*. Scilicet potestas *Primatus*, utpote ordinaria debet in Petri successoribus integra inveniri; at potestas Apostolorum, cum, quoad dicta, *extraordinaria* fuerit, ad eorum successores non transiit. Hinc Petri successores, ut videbimus, adhuc regunt et docent universam Ecclesiam: at successores Apostolorum possunt quidem omnes simul cum Petro universam Ecclesiam infallibiliter docere, atque pro universa Ecclesia leges ferre; possunt quidem singuli dependenter a Petro partem gregis sibi commissam gubernare, etc. (haec erant munera *ordinaria*), sed *singuli* non possunt Ecclesias *ubique* fundare aut regere, seu universalem iurisdictionem exercere; non possunt infallibiliter docere, etc. (haec in Apostolis erant munera *extraordinaria*).

885. Hinc colligitur quoque *tertium*, quod propositum est, nempe *exercitium* potestatis Petri eiusque successorum quoad Apostolos eorumque successores. Ac primo *Petri quoad Apostolos*. — 1) Petrus constitutus fuit omnium caput et centrum unitatis; ergo necesse fuit, ut Apostoli Ecclesias quas fundabant non sibi retinerent, sed Petro tamquam centro aggregarent, eique subiicerent; quod si per impossibile Apostoli neglexissent, Ecclesiae illae fuissent schismaticae, utpote extraneae unitatis centro, ab eoque divulsae — 2) Sed Apostoli praediti erant personali infallibilitate: ergo quoad fidem cum veritate edocendam, Petrus nihil habuit quod in Apostolis ageret — 3) Item, quoad missionem in hac illave orbis parte suscipiendam; cum Apostoli a Christo missionem acceperint in universum orbem — 4) Nec dicatur Petrus

forsan potuisse munus alicuius Apostoli infringere, ob manifestam necessitatem Ecclesiae (quomodo Pius VII., ineunte hoc saeculo, iurisdictionem Episcopis Galliae abstulit), vel ob culpam admissam. Nam — *a)* Deo speciali sua providentia Ecclesiam et Apostolos regente, necessitas illa exsistere non potuit, et de facto non exstitit — *b)* Apostoli per descensum Spiritus Sancti confirmati fuerunt in gratia, ac proinde nullus eorum grave aliquod peccatum admittere poterat. Imo necesse fuit, ut summa esset vitae christianae perfectio in Apostolis; nam constituti fuerunt in summo perfectionis gradu, et abundantiam Spiritus omnibus modis acceperunt (cf. Suarez, de Mysteriis vitae Christi, d. 8. sect. 1. n. 9.).

886. Secundo in Apostolorum successoribus, ob absentiam munerum personalium, quae Apostolis propria exstitere; vis primatus debuit et olim sub Petro, et iam sub Rom. Pontificibus Petri successoribus omnem suam exerere facultatem. Ac — 1) Episcopi tum in fide tum in moribus desciscere possunt, ac sanctitatem et unitatem Ecclesiae violare: potest igitur qui primatum in Ecclesia tenet, omnem exercere episcopos regendi et coercendi potestatem — 2) Item Episcopi Apostolorum successores non habent missionem et institutionem *immediate* ab ipso Christo: necesse est ergo ut eam accipiant ab eo qui vices Christi in primatu totius Ecclesiae gerit, et in quo tamquam in centro unitatis plenitudo potestatis residet — 3) Denique Apostolorum successores, episcopi, non habent, ut Apostoli, missionem et potestatem universalem in omnem Ecclesiam: ergo necesse est, ut definitam regionem in quam iurisdictionem exerceant ab eo obtineant, in quem a S. Petro transfusa fuit potestas consulendi terrarum orbi, et ubique amplificandae et conservandae Ecclesiae.

887. Praefatam vero dependentiam Apostolorum a Petro comprobari potest vel ipsis Patrum testimoniis obiectis. Etenim iuxta S. Hieronymum et Cyprianum, Apostoli cum Petro *pares* sunt in potestate ordinis, et praerogativis propriis Apostolatus; sed minime fuerunt *omnino pares*, ita ut excluderetur aliorum dependentia a Petro, huiusque proinde *Primatus*. Sane integer textus S. Hieronymi est: « Licet super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim *unus*